



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE GLORIABOR IN INFIRMITATIBUS VENERABILI SERVO
DEI RAPHAËLI KALINOWSKI**

A S. IOSEPH BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – «Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi» (2 Cor 12, 9). Quae Paulus Apostolus, stigmata Domini Iesu in corpore suo portans (cfr. Gal 6, 17), laetabundo animo asserebat, consilium Dei proferens, qui infirma mundi eligit ut confundat fortia (cfr. 1 Cor 1, 27), Venerabilis Dei Famulus Raphaël a S. Ioseph, sodalis Fratrum Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo, ad se retulit, qui Christum in ferenda Cruce secutus fideliter, vitae et gaudii paschalis quodammodo fons pro fratribus factus est. Vilnae die 1 mensis Septembris anno 1835, e gente Kalinowski ortus, die 9 eiusdem mensis baptizatus est et Ioseph appellatus. In studia incubuit apud Vilnense nobilium alumnorum Institutum, deinde apud agronomicam Hory-Horki scholam; tandem annis 1853-1857 Petropoli, in militaris architecturae Academia, ubi curriculo summa cum laude absoluto, mathematicis disciplinas docendis est destinatus. Anno 1860 dux ex principibus exercitus Russici est renunciatus et oppido munito Brest Litowski addictus. Anno 1863 tamen, ex amore patriae, omni libertate destituta, iis se adiunxit qui contra Russicum oppressorem insurrexerant, administer bello gerendo constitutus. Paucis post mensibus, Vilnae a militibus Imperatoris Russorum est comprehensus et capitis damnatus; sententia vero mortis est in exilium in Siberiam commutata, ibique per decennium laboribus coacte perficiendis est multatus, poenam in locis Ussolé et Irkutsk maxima animi patientia et ardenti fide, iugis orationis spiritus nisa, solvens. Libertate anno 1874 donatus, triennioque Venerabili Dei Famulo Augusto Czartoryski, principi, instituendo emenso, anno 1877 Ioseph Kalinowski in Ordinem Carmelitarum Discalceatorum Graecii, in Austria, ingressus nomine capto Raphaële a S. Ioseph sacra ibi professionis vota die 26 mensis Novembris anno 1878 nuncupavit. Tirocinio theologico laurini, in Hungaria, laudabiliter exacto, die 15 mensis Ianuarii anno 1882 presbyter Czernae, in Polonia, factus est. Diutina crucis experientia quasi aurum in fornace probatus (cfr. Sap 3), aetatis propectae nulla ratione habita, honoribus et meritis quibus in saeculo fructus fuerat viriliter spretis, ultimus inter fratres esse voluit, nihil umquam antiquius habens, quam ut ad altissimam cum Deo coniunctionem, iuxta Carmeli Teresiani instituta contenderet, pro fratribus omnibus, praesertim sontibus atque ab Ecclesia seiunctis, seipsum piacularem hostiam offerret, die noctuque pro salute hominem cum Domino quodammodo, sicut Iacob Patriarcha (cfr. Gen 3, 25-29) decertans, vim precationum et meritum per corporis afflictionem adaugens, semperque Deiparam Virginem, cuius cliens addictissimus fuit, supplicibus precibus obsecrans. Materno illius fretus auxilio, sui Ordinis restorationis in Polonia auctor fuit, coenobio etiam Wadowicis e fundamento exstructo, et sacrarum virginum Carmelitarum multiplicatis asceteriis, quibus regendis est praepositus. Magna hominum experientia praeditus, prae cunctis iuvenes, pauperes, infirmos, humilioris generis fratres, in quibus Christum conspiciebat, impense dilexit. Peccatoribus, e longinquis etiam Poloniae imo et Rumaniae regionibus advenientibus, sacramento Paenitentiae expiandis integrum dicabat diem, quo ministerio, boni Pastoris exprimens imaginem et spiritum, ad perfectionem operibus confirmandam urgebat et ad Christum sequendum, iuxta propriam

cuiusque vocationem, fortiter hortabatur, precibus, consiliis, sancta amicitia paenitentes sustinens. Verus «Reconciliationis martyr», ut illum vocavimus, innumeris fratribus in perfectionis itinere comes amantissimus fuit, qui Raphaëlem Kalinowski Dei amicum, sancta spe divitem, ex fide viventem venerabantur et praedicabant. Eos inter Venerabilem Dei Famulum Albertum Chmielowski commemorare liceat, qui eum fratrem, amicum, consiliarium desideratissimum habuit, quo suadente, Sanctum Ioannem a Cruce magistrum assumpsit et fratribus sororibusque Institutorum suorum proposuit. Miro sane Providentiae consilio factum est, opinamur, ut simul nunc inter Beatos Caelites adnumerati sint, ii nempe qui, uno spiritu et corde, fidei evangelicarum virtutum exercitatione, et Deo et fratribus sanctissime servierunt. Venerabilis vero Raphaël, pientissime Wadowiciis die 15 mensis Novembris anno 1907 de hoc mundo transivit ad Patrem, eiusque corpus Czernae humatum est. Sanctitatis fama qua vivus Dei Famulus celebratus est, miris etiam suffulta a Deo, eius intercessioni tributis, post mortem increvit. Inquisitionibus autem Ordinariis in Curia Cracoviensi annis 1934-1938 celebratis, de scriptis Servi Dei anno 1943 decretum est, et anno 1952 eius Causa, subscribente Pio Pp. XII introducta. Processu autem Apostolico Cracoviae annis 1953-1956 constructo, Raphaëlem Kalinowski christianarum virtutum culmen attigisse die 11 Octobris anno 1980 ediximus. Postquam autem recte disputatum est de mirabili sanatione Ladislai Mis, sacerdotis, intercessioni Servi Dei adscripta eaque recognita, et per Decretum Nostrum die 13 mensis Ianuarii anno 1983 sancita, decrevimus sollemnem beatificationem Venerabilis Raphaëlis et simul Venerabilis Alberti Chmielowski, cuius meminimus, die 22 mensis Iunii huius anni Cracoviae, durante secundo Nostro itinere in Polonia, peragere. Qua re inter ritum coram frequentissima fidelium multitudine sub diu celebratum, haec protulimus verba: «Nos, vota Fratris Nostri Francisci Cardinales Macharski, Archiepiscopi Cracoviensis, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu, Ordinisque Carmelitarum Discalceatorum ac Congregationum Fratrum et Sororum pauperibus servientium, multorumque christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Ra-phaël Kalinowski atque Albertus Chmielowski Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: Beati Raphaëlis Kalinowski die decima quinta Novembris et Beati Alberti Chmielowski die vigesima quinta Decembris, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen», atque sermonem de vita atque virtutibus Beatorum illorum habuimus. Contrariis quibuslibet neutiquam obstantibus. *Datum Cracoviae, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Iunii, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1983 - Libreria Editrice Vaticana